DE
VI NATURAE MEDICATRICE
IN PHTHISI.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

QUAM

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS AUCTORITATE

IN ACADEMIA LIPSIENSI

PRO SUMMIS

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS

RITE CAPESSENDIS

ILLUSTRIS ICTORUM ORDINIS VENIA

IN AUDITORIO IURIDICO

DIE II. M. AUGUSTI A. MDCCCXXXIX.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

CAROLUS THEOCARUS MATTHES

HASELBACO-MONTANUS

MEDICINAE BACCALAUREUS.

LIPSIAE

TYPIS STARITZII, TYPOGR. ACAD.

VIRO

MAXIME VENERANDO

CAROLO AUGUSTO OEHME

PASTORI APUD MITTELSEIDENSES MERITISSIMO

FAUTORI

SUMMA PIETATE COLENDO

ATQUE

AMICISSIMO

HUNC LIBELLUM ACADEMICUM

GRATISSIMI ANIMI DOCUMENTUM

ESSE VOLUIT

AUCTOR.

PRAEFATIO.

Cum vetus mos iubeat, ut, qui summos in medicina ac chirurgia honores impetrare cupiant, publica edant diligentiae atque eruditionis specimina: equidem, quid me ad hanc potissimum scriptiunculam edendam permoverit, exponere necessarium puto. Phthiseos observandae non solum Lipsiae in nosocomio St. Iacobi sub Viri Exp. ac Doct. Ill. Dr. Clari auspiciis florente et in policlinico instituto sub moderamine VV. Expp. Doctt. Cerutti ac Braune, praeceptorum Summe Venerandorum, verum etiam Halae larga mihi data est occasio. Quae sectiones, quibus interfui, edocuerant, cum illis, quae in libris de anatomia pathologica sunt edita, comparavi; quumque saepius conspexissem inopinatum morbi exitum, factum est, ut consilium de hoc morbo scribendi conciperem.

Ita originem duxit haec scriptiuncula, quae si manca fortassis apparuerit, Lectorem Benevolum, ut probe meminerit, a tirone profectas esse, neutiquam vero ab experiente medico hasce studiorum primitias, enixe rogo.

§. 1.

De vi naturae medicatrice in phthisi.

Si quid est, quod mirari debeamus, hoc de vi naturae medicatrice cuicunque organismo insita, ut se defendens contra et internas et externas iniurias integritatem suam conservet, maxime pronunciandum esse censeo. Maximum morborum numerum vis haec sacra et ab antiquissimis temporibus iam laudata tollit, quin imo saepe aegritudines simul cum impedimentis, quae vivendi ratio addere solet, feliciter superat. Egregiam Gilibert in adversariis suis medico-practicis seu adnotationibus clinicis edidit huius naturae facultatis descriptionem, quum complures morbos per solam vim naturae medicatricem sanatos narravisset. Quae quidem observationes maxime vero spectant ad morbos acutos. Quod autem chronicos morbos attinet, hic quoque scriptores tam pleni sunt laudis, ut superfluum mihi videatur exempla afferre, dummodo phthisin exceperis, quae quum ad tristem atque fatalem exitum qnam saepissime decnrrat, naturae vi medicatrice carere videtur. Sed ex accuratiori phthiseos, de qua locuturus sum, aliarnmque turbationum, quae ad illam accedere possunt, decursus indagatione illam naturae vim in hoc quoque morbo aliquid valere elucebit.

§. 2.

Phthisin pulmonum nuncupamus illum statum, qui mox lenta, mox celeri totius corporis macie, tussi ac febris symptomatibus insignitur. Cum variae sint causae, quae pulmones aggressae organismum subruunt ac viribus sensim sensimque exhaustis corpus consumunt, prioribus temporibus phthisis in varias species dividebatur, quarum unam vocabant *floridam*, alteram *pituitosam*, tertiam *exculcerosam* seu *purulentam*, et quartam speciem *tuberculosam* seu *nodosam* exque veterum sententia *scrofulosam*. Licet multi sint, qui hanc phthiseos considerandae rationem diligent, nostro tamen aevo alia sententia praevalet.

§. 3.

Nam si phthisin floridam exceperis, quae saepenumero nulla alia est, nisi tuberculosa celerrimo decursu stadia sua absolvens, omnes fere phthiseos species nihil aliud sunt, nisi consecutivi pulmonum morbi. Ita comparata est phthisis pituitosa, quae ex bronchitide sensim sensimque exorta a recentioribus medicis catarrhus pulmonalis chronicus appellatur. Quod phthisin exulcerosam attinet, haec progreditur ex inflammatione pulmonum, quae vomicas relinquit, vel e phthisi quae dicitur pituitosa, vel e tuberculosa ipsa, cuius utriusque stadium ultimum constituit. Quare phthisis tuberculosa sola remanet, quae, ut per primordium tuberculorum adeo vitiatur mutaturque pulmonum structura, quin illi munere suo fungi possint, sic illam supra nominatam corporis maciem efficit; quumque tubercula parasitorum adinstar in detrimentum ceterarum partium sese nutriant, consumtione corporis finitur. Qua rerum contemplatione enixi recentes scriptores phthisin tuberculosam *κατ᾽ ἐξοχήν* phthisin vocant; quem usum et nos retinuimus.

§. 4.

De tuberculis.

Tubercula sunt corpuscula albida, friabilia, constantque ex substantia solida, homogenea, densitatem casei referente, nervis ac vasis orbata testante Laennec. Quod Meckel [1]) suspicatus est, tubercula e fluido sese formare, id Sebastian [2]) aliique confirmant. Hic autor e. c. se nubeculas albas in sano pulmone imperfecte circumscriptas, et nonnullis in locis opacas iam factas vidisse dicit; et quum omnia corpora a primordio fluida esse debere inter omnes constet, non video, cur illam sententiam refutemus. Quodsi autem tuberculorum principia fluida sint, ultima eorum causa sine dubio in perversa secretione ac nutritione pulmonum ponenda est; quibusnam autem in pulmonum partibus haec secretio ac nutritio perversa fiat, adhuc dubitatur. Quaecunque autem de tuberculorum origine excogitentur opiniones, id verum est, tria ab illis percurri stadia;

---

1) I. F. Meckel, patholog. Anatom. II, 2. pag. 372.

2) De origine etc. phthiseos. p. 17.

quorum primum iis denotatur signis, quae LAENNEC delineavit, qui tubercula, quando in conspectum veniant, vocavit *miliaria.* Haec corpuscula albida, interdum nigro stigmate praedita sensim flavum colorem perspicuitate amissa adipisci et per iuxtapositionem, uti dicunt, accrescere solent. *Tubercula cruda*, ex forma subrotunda in irregularem mutata, stadium phthiseos secundum adnunciant, quippe quum nunc eveniat, ut parasiti emolliantur. Quamvis scriptores de tuberculorum emollitionis ratione, utrum a centro an a peripheria ista incipiat, adhuc incerti sint, quamvis eius causam in variis ponant momentis, tamen omnes et ii quoque, qui tuberculorum originem ab inflammatione derivant, in eo conveniunt, ut constituant, tuberculorum vicinitatem esse incensam; quae conditio transitum tuberculorum sese emollientium in stadium tertium exulcerationis eo faciliorem reddat. Tubercula nunc formant *vomicas* sanie cum frustulis repletas, quae si per tussin sunt evacuatae, excavationem singularem relinquunt; vel si tubercula seu miliaria seu cruda vomicae adiacent, quod saepe accidit, quum illa diverso tempore diversa stadia absolvant, anfractus tuberculosos efficiunt.

§. 5.

Haec est tuberculorum natura, si respicias eorum originem, sedem ac decursum, paucis admodum verbis adumbrata, ex quibus tamen iam sufficienter apparet, tubercula esse corpora aliena atque organismi parti, in qua nidulantur, infensa; deinde etiam, quando pulmonum statum inquirimus, vim naturae medicatricem in reactione partis contra tubercula perspicere poterimus. Tuberculum primum tenens stadium et in parenchyma pulmonis sanum effusum ne ullum quidem mutati parenchymatis ostendit vestigium; unde evenit, ut morbus adeo clandestine ac leniter invadat. Volumine tuberculorum accrescente e GENDRINI sententia parenchyma, quo circumdantur, paululum durius fit, tunica bronchiorum mucosa pallet, at permeantem aërem non impedit. Exinde signa incipientis phthiseos tam obscura quam fallacia sunt; etenim si tubercula non totum pulmonis apicem infarciunt, invenies praeter respirandi processum paululum mutatum, signa catarrhi vel rheumatismi, et tum demum si maior illorum copia est effusa, respiratio fit iusto celerior, tussicula accedit facillime excitabilis, et calor tempore pomeridiano paululum adaugetur horripilatione interdum antece-

dente. Sed modo tardius, modo celerius ingravescunt haec symptomata, propterea quod pulmones contra tubercula, quae sese accumulant et increscunt, pro viribus reagunt.

§. 6.

Multa indicia visibilia nunc prodit structura pulmonis tubercula circumdantis. Tubercula, quum corpora sint aliena, sempiternam exercent in pulmones vim pressoriam, quam illi per adauctum sanguinis affluxum removere student. Unde nunc sputa mucosa et, ubi magna tuberculorum copia adest, sanguinolenta animadvertuntur; sicuti dolores fugaces, pectus opprimentes, pungentes cum tussi perpetua, frequentiori atque anhelosa respiratione cordisque palpitationibus, quoniam sanguinis in pulmones congesti circumfluxus non iam omni ex parte liber est, persentiuntur. Hinc pendet sine dubio maior pulmonum exhalatio sese par halitum oris testificans, quae saepe tanquam primum ex ceteris phthiseos tuberculosae signis observatur. Structura pulmonum circum tubercula indurata ac saepe nigra est cum signis inflammationis chronicae, et parenchyma ipsum ex Stollii sententia friabile deprehenditur. Ubi pulmones magno eiusmodi tuberculorum numero sunt repleti, non mirandum est, vasorum aëriferorum functiones turbari, quippe quae obstructa sint neque aërem permeare sinant, imo cogant vicina ut vices alternent. Qua de causa bronchia ob maiorem intentionem sese dilatant et quum, uti demonstravimus, in pulmone adsit status congestivus e reactione exortus, rubent, eodemque modo, quo in catarrho irritata tussin mox siccam mox humidam promovent. Unde tum temporis phthisis conclamata efformatur.

§. 7.

Etenim nunc non tantum cellulae aëreae, quae cum tuberculis cohaerent, morbosae sunt, sed etiam vasa sanguifera concrescunt et obstruuntur, quo fit, ut pars tuberculi media parum aut nullum sanguinem accipiens marcescat, emoriatur et penitus degeneretur, dum vascula inflammata sed nondum clausa pus secernunt, quo tuberculum solvitur. Natura igitur intendit hac ratione, ut corpora illa aliena ex parte affecta removeantur. Similem processum in inflammatione partis alicuius internae, in quam corpus alienum intravit, observamus, ubi ad

illud removendum inflammatio transire solet in suppurationem. Sic vomica formatur, quae ab initio fere rotunda, membrana quadam cingitur vasculosa, tenui, aliquando crassiori ac subflava, ut postquam materie fuerit expleta, cicatrisatio locum obtinere possit. Sed plerumque hoc conamen naturae irritum redditur, ubi vomicae cavum sensim sensimque amplificatur, dennoque exorta inflammatione exsudatur in cellulis adiacentibus lympha coagulabilis, quem processum mox sequitur suppuratio atque sic malo proserpente aeger phthisi conclamata perditur. Non semper autem idem exitus observatur; evenit nimirum interdum, ut vomica in eodem statu maneat, vel, quamvis rarius, cicatrisatio formetur; neque etiam mors dependet a magnitudine eiusmodi vomicae, sed a maiori minorive corporis irritabilitate atque virium conditione, siquidem in hominibus aetate iam provectioribus pulmo saepe fere consumtus reperiatur, et in natu minoribus pulmo quandoque non ultra tertiam vel dimidiam partem a vomica destruatur.

§. 8.

Duplex est igitur ratio, qua natura conatur tuberculorum vim vitae inimicam delere. Efficit enim induratum et aëri impervium per incrassationem parietum vesicularium parenchyma, ut tubercula nutrimento priventur, et, quando id fieri non potest, per suppurationem ea dissolvere ac per tussin emovere studeat. Quod revera evenire cicatrices frequentes in cadaveribus dissectis inventae edocent. Vomicarum enim parietes, iuxta quos innumera vasa sanguinea perreptant, a parenchymate pulmonali nunc sano, nunc tuberculis referto, vel nudo vel strato membranaceo, uti monuimus, obtecto constituuntur. Quodsi accidit, ut sit parenchyma tuberculis refertum, vomicam in exulcerationem abire et anfractus tuberculosos formare iam dictum est. Contra vero, ubi parietes membrana quadam obducti sunt, ibi fit, ut cavum vomicae collabatur eiusque parietes sese tangant atque inter se coalescant. Res si eo perducta est, in dissecta pulmonis superficie membrana coerulescens ac splendens reperitur; haud raro etiam vomicae margines tam condensati ac callosi facti sunt, ut pus vomicam replens ex eius parietibus neque excedere neque pulmonum substantiae nocere possit, sed quotidie praesertim tempore matutino excreetur et novo in sacco puris quantitas praeparetur. Quae res fonticulo similis est, et sufficit ad vitam longe sustinendam.

§. 9.

Praeter hanc merito mirabundam naturae vim conservatricem, haec quoque alias molitur ad tubercula destruenda mutationes. Qui nimirum pulmones tuberculis infarctos perscrutati sunt, tubercula hic et illic cysta quadam, cartilagineam duritiem exhibente, inclusa invenierunt; cuius productione natura prohibere videtur, ne tubercula emolliantur. Interdum, quamvis raro, cystam illam ossificatam reperimus, quam quidem ossificationem multo frequentius in tuberculis ipsis observamus. Vasis concretis tuberculum emoritur, et *durum*, *lapideum*, *cretaceum* redditur, quod veteres *tumores* materiam contentam in *formam gypseam* concoquentes, vel *lithiasin* pulmonum, *phthisin calculosam* seu *arthriticam* nominarunt. Quae tubercula, si ita comparata sunt, totam per vitam sine molestiis remanere possunt; saepius autem subsequente pulmonum reactione vegetativa novam provocant inflammationem.

§. 10.

Quum Desgenettes arenam in vasis pulmonum lymphaticis apud lapicidam asthmatis paroxysmo emortuum, nec non Mascagni sanguinem, in cavum thoracis effusum, in iis invenisset, quaestio oritur, num natura ad tubercula resorbenda sufficiat. Vasa lymphatica in phthisicis (§. 14.) turgida, varicosa et a nonnullis pure referta sunt inventa, et alii idem in sanguine detexerunt; alii cum summo levamine molestiarum, quae e phthisi oriuntur, excretiones alvinas atque urinam pure commixtam, inturbata ceterum tractus intestinorum ac systematis uropoëtici integritate, observarunt. Quae quum ita se habeant, ad naturae vim medicatricem hoc resorbendae tuberculorum massae conamen adscribere possumus.

§. 11.

Quamquam iam e tuberculorum decursu, quem descripsimus, naturae salubre conamen liquet, tamen saepissime hoc non sufficit, ut morbi letalem exitum avertat. Detrimenta enim a tuberculis procreata tanta sunt, quanta pulmonum energia sola devincere nequeat. Primum enim per tuberculorum formationem pro copiae ratione maior minorve pulmonum parenchymatis portio inepta fit et ad spiritum ducendum et ad sanguinem venosum in arteriosum mutandum. Qua ex

causa sine dubio oritur universa plethora venosa, quam varia ac diversa incommoda sequuntur. Quod vero attinet pulmones, anastomoses, quas ineunt vasa bronchialia ac pulmonalia, circuitum sanguinis per tuberculorum effectum impeditum non ita adiuvare pollent, ut illa plethora tolli possit. Quam ob rem statum congestivo-inflammatorium circa tubercula et signa stagnationis atque impletionis sanguinis in pulmonum basi semper deprehendere licet. Quum hoc modo ratio iusta inter arteriosum atque venosum sanguinem turbetur, et quae extat inter nutritionem ac productionem ratio eo mutetur, ut plura ad nutriendum corpus, quam organismus reproducere possit, consumantur, febris nunc, cuius signa ab initio lenta et clandestina erant, perspicua accedit, cuius natura instante tempore emollitionis ac suppurationis tuberculorum, quibuscum sanguis in contactum venit, asthenica esse debet; et sic per crises febriles, sudores et diarrhoeas, corporis vires, quae restant, perduntur.

§. 12.
De organis auxiliaribus.

Quae cum ita se habeant, mirum haud dubie esset, tamdiu posset in his destructionibus vitam ab aegroto protrahi, nisi anatomia pathologica nos edocuisset, tantum detrimentum corpori illatum eo compensari a natura organismum conservante, quod organa pulmonum muneri inservientia cumque iis consensu quodam invicem coniuncta ad sustinendam muneris partem excitantur. Secto enim cadavere phthisico quae tandem mutationes praeter destructos pulmones inveniantur? — Primum nobis in conspectum venit *hepar*. In cadaveribus, quorum pulmones fere consumpti erant, permagnum deprehendebatur hocce viscus, ceterum in universum intumescens, hypertrophicum, plenum ac refertum sanguine venoso, nec non detectum est iecur vel parenchymate ex parte in adipem mutato, vel cysta fellea aut bilem glutinosam concolorem aut calculos continente praeditum[3]). Si quis est, qui causam quaerat, qua hepatis parenchyma tantopere sit mutatum, illam in magno quodam consensu, qui inter pulmones et hepar in-

---

3) Meckel, Bayle, Laennec, Louis, Schoenlein, Heusinger; et e veteribus, scriptores de anatomia pathologica inprimis Lieutaud ac Voigtel.

tercedat, positam esse intelliget. Functionis similitudo, qua hepar ablato ex sanguine carbogenio pulmonum vices sanguinis depurandi adiuvat, nunc increscit. Iam in foeminarum corpore sano tale quid observatur. Si enim comparare velis rationem quae inter virorum pulmones heparque et inter eadem feminarum organa intercedit, maiorem semper invenies in his ambitum hepatis, minores autem pulmones. Multo clarius vero hic saluber utriusque organi consensus ad aetatem climactericam in feminis apparet. Illo nimirum tempore, quo menstrua cessare solent, saepe accidit, ut femina adhuc bene valens neque habitu praedita phthisico, incipiat gerere querelas de impedito corporis motu, de interrupta loquendi facultate, ipsa fortasse respiritio fit celerior, sublimis, inaequalis, cum suspiriis intermixta, praecipue ubi animi commotio eam paululum vividiorem esse iubet. Absunt dolores pectoris, et cetera habitus phthisici signa omnia. Contra vero sentitur ad hypochondrium dextrum inflatio, sensus obtusus, molestus, et eadem ratione, qua respiratio molestata transit in dyspnoeam, volumen hepatis omnes naturae limites excedit, priusquam mors intrat sub signis paralyseos pulmonum seu hydrothoracis. Tubercula admodum rara inveniuntur. Sub hac rerum conditione causa morbi sine dubio non a primordio sita erat in hepate, sed in pulmonibus, qui cessantibus mensibus non satis validi sunt ad omnem sanguinem venosum, cuius copiam augeri constat in provectiori aetate, immixto iis oxygenio, depurandum et in arteriosum mutandum. Hoc ut fiat, in auxilium vocatur hepar, quod huic muneri ut bene praesit, sensim sensimque ambitum suum augeat oportet. Deinde etiam ex nonnullis, quae in phthisi decurrente obveniunt, vis illa hepatis saluberrima elucet. Inprimis tempore incipientis phthiseos maximo cum levamine diarrhoea biliosam naturam prae se ferens vel vomitus bilioso-mucosus observatur. Quae est causa utriusque symptomatis? Quum effectus sint maioris bilis copiae, hepar novum exhibet specimen salutaris suae facultatis ad conservandum organismum. Eadem dici possunt de *liene*, quem autores supra allati multo quam par erat maiorem invenierunt, si pulmones tuberculis obstructi fuerant. Quamquam munus, quo fungitur splen, adhuc non perspicue ad liquidum confessumque est perductum, tamen ex ea quam in hominibus phthisicis splen perpessus est, mutatione voluminis, integro parenchymate conservato, colligere licet, ex impedito sanguinis circuitu per vasa minora et stagnante abhinc

venoso sanguine, excitari ad lienem congestiones, quae ut functioni ille obtemperet, maiorem eius vim expostulent. Sic hypertrophiam lienis fieri opinamur, qui quum ex omnium sententia ad sanguinis krasin sit destinatus, per has congestiones stimulatur, ut maiori cum intentione munus suum exerceat, atque hac via pulmones venoso sanguine impletos et ad sanguinem recreandum debilitatos sublevet.

§. 13.

Quemadmodum superioris intestinorum tractus organa phthisico statui succurrunt, sic inferior tractus pulmonibus in auxilium venit. Iam supra (§. 10. 12.) contemplati sumus; inter damna, quae reliquo corpori affligantur e tuberculis, praevalentem quoque conspici venositatem, quae organa ad intestinorum tractum spectantia in dies magis magisque obruat. In hoc rerum statu natura per excretiones adauctas detrimentum avertere studet. Quapropter diarrhoeae statum phthiseos incipientis sublevant atque aegrotis per nimiam tantum virium prostrationem nocent. Simul cum iis aliud arcte cohaeret phaenomenon, quod quam saepissime fallacem admodum spem reddit aegroto. Sunt haemorrhoides, quae plethoram abdominalem disponunt et congestiones in venam portae derivant, quo fit ut liberius agere possit hepar, principale organon pro phthisicis auxiliare. Ne quis autem putet, omni de fluxus haemorrhoidalis salubritate experientiae esse contradictum a nobis, qui ex hoc eventu fallacem spem aegroto suggeri loquuti sumus; argumentum, quod nos inducit ad hanc opinionem stabiliendam, ex observationibus depromsimus. Fit enim in homine phthisico, ut fluxus haemorrhoidalis tunc appareat, quando energia hepatis imminuere sese incipit. Ruunt vires paulo post intrantem fluxum in peius, atque omnia phthiseos signa, quae sub fluxu imminuta esse videbantur, nunc exacerbant et ingravescunt. Aliter vero res se habet, si instantibus vel suppressis haemorrhoidibus phthisis exoritur, dum haemorrhoides denuo fluentes morbum sublevare sive tollere possunt. Simili modo haud raro accidit, ut fistulae recti, quae saepenumero ex haemorrhoidum moliminibus exortae incaute sanantur, phthisin producant.

Non minoris momenti sunt *renes*. Constat enim magnum atque intimum esse connexum inter pulmones ac renes, quibus, si munus eorum perpenderis,

sanguinem per urinae secretionem ab inutilibus ac combustis liberati apparet. In cadavere autem hominis a phthisi consumti renes permagnos, firmos, aut grandes ac flaccidos, pyramidibus bene expressis, detegere possumus. Quum vero nulla corporis pars sine quadam intentione accrescat, non est, quod dubitemus, quin his renum intentionibus in vicario pulmonum munere impensis adscribamus adauctum eorum volumen, atque id auxiliaris organi signum habeamus.

§. 14.

Nec silentio praeterire possnmus, quanta insit inserviendi phthisico statui facultas systemati lymphatico, quod per totum quidem corpus divulgatum tamen *cutem*, utpote campum ei proprium, maximi existimat atque adamat, ut ibi ea, quae organa antea relata non excernunt, deponantur atque removeantur. Qua de causa cutis, quae qnando phthisis tuberculosa incipit, plerumque pallet ac flaccescit, turgorem suum amittit, et progrediente phthisi sordidum adspectum nanciscitur. Hic color magis minusve transit in flavo-sordidum, qui ad instantem febris exacerbationem e squalido ac terreo in subaeruginosum, praecipue ad genas, abire solet. Accidit qnoque, ut hic color faciei phthisicae proprius cum maculis flavis, ephelidibus aliisque pigmentis, quae antea defuerant, nunc intermisceatur. Quae sit causa horum symptomatnm facile intelliget, qui meminerit morborum sanguinis, ubi huius fluidi mixtio naturae neutiquam convenit. Chlorosis similem imaginem praebet. Quin immo in statu naturali apud feminas uterum gerentes ob maiorem plastici sanguinis copiam ac pulmones via mechanica impeditos illa phaenomena item inveniuntur. Quos pro effectu adauctae agnoscere excretionis cutaneae, ut sanguis carbogenio praevalente liberetur, minime dubitamus. Cutis enim respirat et exhalat, ac sic pulmonibus inservit. Quae functio insensibilis, quando febrem morbus accivit, sudores profert, qui ut diarrhoea primis diebus levamen, sed mox quo copiosiores fiunt, eo maius damnum afferunt. Ni fallimur, a nonnullis observata est cutis, cuius epidermis incrassata apparebat, ita ut hic et illic in pityriasin abierit.

Quoad *vasa lymphatica*, quae et ad totam nimirum pulmonum superficiem sita rete peculiare formant et multo profundius in ipsa pulmonum substantia cum ramis vasorum sanguineorum et aëreorum procedunt, haec quam saepissime tur-

gilla et corporibus alienis referta inveniuntur, et glandnlae bronchiales, per quas illa vasa decurrunt, largiter nigredine, quae a colore glandularum bronchialium consueto valde abhorret, tinctae snnt. Quae nigredo melanotica ex resorbendi vasorum lymphaticorum facultate cum increscente phthisi adaucta explicanda est, quo fit, nt carboneum ab illis bronchiornm finibus resorptnm partim in his ipsis stagnet, partim in glandulis bronchialibus coacervetur.

At mirari debemus omnipotentem naturam, quae omnia subsidia ad detrimentum ex phthisi allatum avertendum molitur. Commemorant nimirum nonnulli scriptores singulare quoddam phaenomenon in cadaveribus observatum, qui glandulam thymum et glandulas suprarenales eadem invenierunt magnitudine, quam apud neonatos observamus. Causa autem, qua natura commota sit ad glandulas nominatas conservandas earumque volumen adaugendum, nulla alia fuisse videtur, quam ut pulmonibus morbosis succurrat; scimus enim, intimum esse in foetu connexnm inter pulmones et illas glandulas, quae increscentibns pulmonibus decrescere soleant.

§. 15.

Ne vero limites scriptiunculae nostrae propositos ullo modo excedamns, eo nunc perveniamus oportet, ut organorum pulmonibus vicinorum, *pleurae* et *cordis* rationem habeamus. Pleurae saepissime inter sese concretae reperiuntur, cuius concretionis causa in superatis inflammationibus et chronicis et acutis quaerenda est. Natura vero vegetissima ex hoc vitio novum provocat auxilium propterea, ut inter pleuras psendomembranas constituat atque vascula eas penetrantia. Sic novis membranarum recentium vasis circuitus sanguinis minor infarctis atque obstructis pulmonibus coarctatus non plane quidem restituitur, sed hanc vasorum novorum formationem tamquam naturae conamen ad tollendum circuitus sanguinis impedimentum esse destinatum opinari possumus, qui impeditus sanguinis circumfluxus cordis ventriculum dextrum simnl cum venis suis amplificatum dilatatumque reddit.

§. 16.

Quamquam tot tamque varia sunt organa, quae pulmonibus tuberculosis auxilium suppeditent, tamen sufficiunt, ut vita longius, quam sub hac conditione pulmonum fieri possit, snstineatur. Tandem aliquando robur omninm organorum, quae excretoria sunt, ob maiores intentiones longum per tempus durantes labe-

factatur et irrepabili cedit debilitati. Unde accidit, ut propter debilitata abdominis organa mortem hydrops adducat, aut diarrhoeae et sudores colliqnativi exoriantur, quibus vitae vires celeriter exhauriuntur. Textura autem organorum plerumque fit flaccida et mollis.

Ea igitur hucusque commemorata, quae vis naturae medicatrix contra hostem tam atrocem molitur, per tempus modo breve modo longius perdurant. Quum vero neminem fugiat, naturam saepius ad tollendum morbum chronicum et ad profligandas morbi alicuius sequelas novnm morbum, inprimis febrem excitare, et quum unusquisque sciat, saepius morbum per mntatam vitae rationem removeri, quaestionem non alienam esse putavimus, num hae vitae conditiones et morbi acuti, praeprimis febres vim in phthisin habeant aut salutarem aut nocivam.

Nullum est dubium, quin *mutata vitae ratio* phthisi laborantibus utilitatem per aliquot tempns afferat; ad quam spectant itinera, praecipue in regiones, quae aequali gaudent coeli temperie nec tempestatis vicissitudinibus sunt obnoxiae. De singulari quodam itinere infra locuturi sumus (§. 23.). Ex observationibus nonnullis utile esse videtur, vitam in regionibus silvestribus degere. Num navigationes tubercula subigere valeant, quaeritur. Nec minoris dignitatis censendus est modus certus ciborum, potus, somni ac motus corporis; et praecipue cura cuti per frictiones et balnea habita. Argumenta tamen, e quibus fructus, qnem phthisici ex his adiumentis capiunt, possit explicari, sunt praetermittenda.

Haud ineptus vero hic nobis visus est locus, pauca de *graviditatis*, quae ex parte ad mutatam vitae conditionem pertinet, in phthisin effectu disserendi. Phthisin tuberculosam, cuius signa in femina uterum gerente silent ac cnm morbo ipso plane remota esse videntur, post partum plerumque ad fatalem suum exitum qnam celerrime decurrere nemo nescit. Causa, cur phthisis tempore graviditatis sileat, haud dubie sita est in larga omnis vigoris a ceteris corporis partibus in uterum derivatione quo infans (foetus) nutriatur. Illam vero caussam, cnr post editum infantem phthisis ad fastigium velocissime perveniat, nonnulli in adaucta denuo pulmonum functione positam quaerunt, alii in lactandi munere, quod vero testibus nonnullis remedium est contra phthisin prophylacticum [4]).

---

4) Grenser, dissert. inaug. de vi puerperii lactandique tempor. medic.

§. 17.

De morbis acutis.

Experientia statutum ac confirmatum est, morbum novum atque acutum alteri chronico supervenientem ex antagonismi et consensus lege saepe salutarem exercere effectum. Sic W. GRANT [5]) febrem intermittentem vernalem ad catarrhum chronicum accedere non sine laetitia observabat, quippe quod febris ope catarrhus plane tolleretur. Quacum opinione multi alii medici consentiunt, qui salutarem vim, quam febres qualiscunque naturae, si nervosam exceperis, sub quibusdam conditionibus in arthritidem, rheumatismum chronicum, chlorosin, hydropem, morbum scrofulosum aliosque morbos exerceant, statuerunt. Num sit salutaris morbis acutis in phthisin effectus quis certo dubitat? Ne vero quis putet, inanes esse susceptos labores a nobis, qui nunc de vi salutari febrium scribere vellemus, nostrum finem in eo ponemus, ut de conditionibus, quae phthisin vel accelerent, vel retardent, hic loquamur. Iam supra monuimus, nos ne scriptiunculae limites excedamus, e morbis inflammationes ac febres elegisse. BAYLE [6]) phthiseos complicationem cum morbis nonnullis, febribus nimirum eruptivis, i. e. exanthematicis acutis, peripneumonia, pleuresia, catarrho pulmonum, haemoptysi, cordis vitiis ac syphilide paucis verbis contemplatus malum plerumque eam habere effectum contendit. Omisimus vero haemoptysin, quam phthiseos esse effectum demonstravimus, atque cordis mala, quippe quae ex phthisi oriri saepe consuescant et idiopathica raro admodum inveniri dicantur, licet morbus coeruleus a corde dependens in phthisin tuberculosam abire possit. De lue postremo syphilitica quemvis clandestinum morbum cui accedit exacerbante nihil dici oportet, quia hic morbus a nostro fine alienus est.

§. 18.

De inflammationibus pectoris.

Cuiusvis inflammationis indolem si in sanguinis vasorumque vi ad summum usque gradum adaucta, quam plasticam vocant, positam censemus, facile est intellectu, pneumoniae, pleuritidis vel bronchitidis effectum in primo phthiseos

---

5) KLOSE, *über Krankheiten als Mittel der Verhütung* etc.

6) cf. *Recherches* sur la phthisie pulmonaire. Paris 1810.

stadio esse ancipitem, in secundo vero ac tertio funestum. Sanus homo atque bene validus, quando pulmonum inflammatione correptus est, munus, quo pulmones funguntur, ob dolorum atque morbi incrementum exercere fugit. Pulmones enim pondus atque volumen maius adepti vasa hoc in statu copiosiora, nova et ampliora sanguine mutato replent, quae sic impediunt, quominus basis illorum spiritui ducendo inservire possit. Quomodo nunc in phthisico homine? Si adest primum stadium, nonne tuberculis crudis, quae apicem pulmonum infarciunt et ad vividiorem respirationem hanc partem inflammatae basi oppositam impotem reddunt, morbus multo gravior fiet? Qua de causa in his aegrotis summae symptomata anxietatis cum sensu pressorio ac respiratione difficillima, cordis ictus fortiores, pulsus celeres et duri praeter cetera signa obveniunt. Quibus accedit, ut resolutionis exitus magis dubius reddatur eo, quod inflammatio organon enervatum afficiens ad lympham plasticam exsudandam et ad pus formandum quam maxime inclinet. Quando vero inflammatio solvitur, tum plerumque evenit, ut, quae tubercula in pulmonum apice excreta fuerint, in novam massam transformentur ac per totam vitam sine ullo vitae damno ferri possint; et sectiones hominum aliis morbis mortuorum praeter tubercula lapidea, calculosa nulla vestigia inflammatoriae cuiusdam pectoris affectionis prius superatae demonstrant. Sed multo frequentior exitus occurrit exsudationis vel inter pleuras vel inter pulmonis parenchyma collectae, quam hepatisationem rubram vocant. Quo facto irritatio quaedam, mox magis mox minus ab inflammatione diversa, in pulmonibus locum habet, atque non solum efficit, ut tubercula accrescant et ad emollitionem convertantur, verum etiam nova formandi tubercula locum suppeditet; nam omnes scriptores in eo conveniunt, quod pneumoniam, pleuritidem, inprimis chronicam, fontem quoque esse posse contendant phthiseos tuberculosae ita quidem, ut illi morbi tubercula ipsa non producant, sed corpus ad diathesin tuberculosam proclivius reddant, et irritatione durante tubercula nutriant. Bronchitis acuta ex eadem conditione difficilis diiudicata saepius in chronicam transit et sic tubercula fovet, inprimis quod tunica mucosa, quae muneri respiratorio obtemperat, inflammata atque per chronicum decursum in textura sua mutata, iis, quibus debet, non fungitur. Quam ob rem hanc formam ex iniusta sanguinis crasi hydrops pectoris, exulcerationes et catarrhus suffocativus sequi

solent. Instante vero stadio secundo, emollitionis tuberculorum, vel tertio, exulcerationis, affectiones inflammatoriae, quae phthisi superveniunt, aut primitivae aut consecutivae sunt. Utrumque vero morbi genus mortem accelerat, et inprimis diebus cum summa aegroti anxietate, dyspnoea, sub doloribus vehementibus intrat, quos tussis prius humida ac frustula eliciens nunc vel sicca vel sanguinolenta comitatur; interdum adeo fit, ut haemoptoë remediis vix cedens interveniat. Si sanus homo pneumonia aliusve organi inflammatione correptus est, postquam signa usque ad fastigium pervenerant, crises et locales et universales intrare solent. Aliter res sese habet in phthisico individuo, ubi critici quidem aliquid apparet in sputis, quae vero non cocta sed serosa et colore ex rubro-nigro tincta videntur, eumque pulsu valde a iusta crisium ratione abhorrente coniuncta sunt. Pulsus etenim, qui in sano homine inflammatione aliqua affecto sensim celeritatem, duritiem et frequentiam amittens maior et mollior fieri solet, in phthisicis debilior, frequentior ac celerior observatur. Saepius nunc sputorum evacuatio deficit, quae res respirationem sublimem, acceleratam, stertorosamque reddit; denique deliria intrant, sub quibus aegrotus e medio tollitur.

Sectiones edocent, utrumque vel alterum tantum pulmonem refertum esse hisce tuberculis sat magnis emollitis vel in unum aggerem collectis vel vomicam a parenchymate circumdatam constituentibus, vel ulcera cum emollito liquescente parenchymate vicino, seu margine lardaceo instructa formantibus, quorum basis texturam ruberrimam ac duram, aut spumosam atque splenis mollitici similem ostendere solet. Pleurae in universum aut concreverunt aut inter se telam cellulosam procrearunt (cf. §. 15.). Interdum vero contingit, ut in inflammationem sola pleura, organon longe minoris quam pulmones dignitatis, incidat, quo fit, ut prognosis, quum plerumque decursus sit chronicus atque in exsudationem exeat, non tam tristis sit atque nonnulla ad vitam per aliquot tempus sustinendam afferat auxilia.. Alludimus nimirum ad supra commemoratam telae cellulosae atque vasorum formationem. Ubi vero excreta est aqua aut pus, ibi vires ad circulationem sanguinis minorem, quae restant, eo facilius exhauriuntur, quo maior est illorum fluidorum copia. Novus febris insultus deinde ingruit, qui sub signis catarrhi suffocativi aegrotum interimit. Similem quoque observamus exitum in

bronchitide, quae plerumque ex irritatione pulmonis, cuius tubercula exulcerata sunt, orta per catarrhum suffocativum, rarius hydropem vitae finem ponit [7]).

§. 19.

E ceteris inflammationibus pectoris huc quoque spectat pericarditis. Multas sectiones publici iuris fecit nuper BOUILLAUD [8]) praeter alios auctores, qui suas hac de re observationes nobis reliquerunt. Elucet ex illis observationibus, signa esse hic maximi ponderis dolorem urentem fixumque ad regionem scrobiculi cordis et infrasternalem, atque anxietatem aegrotum ita turbantem atque cruciantem ob sputorum defectum, ut accrescente celeriter dyspnoea et orthopnoea lipothymiae frequentes occurrant. Propter contiguam cordis vicinitatem inflammatio huc quoque transmigrare potest, atque sic complicationem deteriorem efficit. Quando nimirum phthisis in primo adhuc versatur stadio, resolutionis exitus, quamquam difficile, tamen interdum observatur, et cessantibus phthiseos signis dyspnoea saepenumero remanet. Frequentius vero deprehenditur exsudatio seu plastica seu serosa, quae instante phthiseos stadio secundo eadem detrimenta, quae antecedente paragrapho sunt dicta, advehit.

§. 20.

De aliorum organorum inflammatione.

Restat, ut cetera organa, quae consensu quodam cohaerent cum pulmonibus, consideremus. Ex his primum est hepar nominandum, quod viscus est non solum ad conservandam organismi integritatem valde necessarium, verum etiam quod inprimis munus, quo fungitur, pulmonibus oppositum est, quum hoc venoso sanguini, illos arterioso praeesse constet. De mutationibus, quas hepar e phthisi patitur, iam locuti sumus. Si ad phthisin accedit hepatis inflammatio, faustus effectus ex susceptis quodammodo pulmonum vicibus oriundus imminui debet, et quum febris inflammatoriae indoles opportunum tuberculis subministret nutrimentum, ut cito unum alterumve stadium assequantur, reconvalescentia aegri, quia phthisis increscere incipit, tarda ac rara observatur. Neque hepatis vicinitatem atque superficiei indolem, cuius membrana cum pleurarum structura conve-

7) BAYLE, l. c. observ. III, 4, 41, 42.

8) *Krankheiten des Herzens, übers. von Dr.* BECKER. *Leipzig* 1836. II. Tom.

nit, praetermittere possumus. Inde enim fit, ut, si incensa est hepatis superficies (inflammatio erysipelatosa), metastasis quam maxime timenda pleuram in discrimen ducat, eademque damna, quae pleuritis, et multo quidem celerius, proferat. Chronicam hepatis inflammationem quod attinet, ea tardo pede iisdem sub incommodis vitam subruit.

Quid de lienis inflammatione, quae raro admodum in conspectum venit, dici possit, incertum est. Si liceat ex iis, quae anatomia pathologica edocuit, aliquid concludere, tum ob febrem quam excitat inflammatoriam, cum propter exitus, quos diligit, adversos quoque eventus phthisi praeparat. Id quod de inflammatione intestinorum tractus contendere possumus; nam apud infantes ad pubertatem accedentes, scrofuloso habitu haereditario et architectura phthisica praeditos hanc fatalem complicationem observavimus. Plerumque inflammatio ad chronicum decursum tendit; celeriter vero reproductione labefactata phthisis intrat ac se excolit, neque non hydropis signis morbus terminatur.

§. 21.

Quamquam iam ex his, quae pauca quidem atque manca tiro attulit, satis perspicue patet, qualiscunque organi inflammationem malam constituere phthisico individuo prognosin, tamen non possumus, quin e reliquis corporis organis illa, quae systemati nervoso obtemperant, hic referamus, inprimis, quod nobis insigne documentum occurrit ad *cerebri* vim in pulmones illustrandam. Famula quaedam, 25 a. agens, longum per tempus de capitis gravedine, dolore fixo ad os parietale dextrum, vertigine, aurium susurru conquesta est. Ex itinere sibi contraxit febrem catarrhalem, quae suspectis symptomatibus sese insignivit. Tussis frequentissima ac humida, sputa cum frustulis e flavo viridibus edens, dolores pectoris exacerbabat; ad vesperam accessit exacerbatio febris, cum rubris genis, siti magna et calore volatili, quae ad mediam noctem sub sudore madido remittebat; respiratio anhelosa, brevis, sublimis, sicut omnis nisus spiritum in profundum ducendi dolores tussinque adaugebant; cordis ictus frequens, pulsus celer, iusto frequentior; vires prostratae cum macie corporis incipiente reperiebantur; menstrua e nonnullis mensibus cessabant. Haec omnia sine dubio secundum phthiseos stadium pronunciabant. Novem mensibus post sectioni interfuimus,

postquam subito signa encephalitidis apparuerant et vix novem horas duraverant. Sectio sparsa admodum tubercula in pulmonibus in universum sanis, in *cerebro vero vomicam sat magnam diruptam* cum ceteris inflammationis chronicae signis exhibuit.

Praeclarum est profecto exemplum ad demonstrandam illam cerebri in munere pulmonum moderando opportunitatem, quam I. Frank [9]) testatus est atque Valleix [10]) nuper confirmavit. Hic auctor vidit interdum meningitidem phthisicis hominibus supervenire atque eo modo, ut paullo post symptomata phthiseos remitterent, meningitidis ingravescerent, quo facto sub coma, delirio atque paralysi vita aufugerit. Bayle quoque maturatum esse fatalem phthiseos exitum per tubercula cerebri vidit [11]).

Quod medullam spinalem attinet, quisque scit, pulmones ab ea accipere nervos et nutritioni et motui inservientes; quamobrem nulli mirum esse potest, quod tabe dorsali et partis quidem thoracicae laborantes multas querelas de variis respirationis difficultatibus proferant. Quod si verum est, a myelitide praecipue chronica non solum oppressionem ac dolores pectoris, dyspnoeam et tussin aggravari, verum etiam tubercula pulmonum, qui nunc vi nervorum spinalium sunt privati, ali manifestum est.

§. 22.
De febribus.

Febrem esse naturae conamen salutare ad mortem avertendam Stoll summo cum iure explicavit, simulque indolem febris ac naturam depinxit. Haec febris conservatrix plerumque appellata oppositum interdum characterem nanciscitur, quem egregie aestumavit Klose in libro laudato, ubi multos adiicit morbos, qui a natura ipsa febris sponte exortae auxilio sunt sublati, sed nullo loco phthiseos tuberculosae mentionem fecit, ita ut quisque putare possit, febrem ei esse nocivam, quia facile accidat, ut illa transeat in hecticam. Quamquam quotidiana expe-

---

9) Frank, prax. med. Tom. II. vol. 2. pag. 660.

10) Valleix, archiv generale de med.

11) cf. l. l. observat. 8.

rientia eventum huiusmodi complicationis infelicem testatur, tamen conditiones retardandae phthiseos nonnullis febribus inesse nemo est, qui negare possit. Hanc peculiarem vim *febri intermittenti*, quam salutarem veteres vocare solebant, et *febri nervosae seu typhoideae* inesse existimant, *catarrhali* contra atque *exanthematicis febribus* nocivam potestatem attribuunt.

§. 23.
De febre intermittente.

Extant regiones, in quibus febris intermittens epidemica, in aliis vero raro admodum observatur; in his phthisis tuberculosa endemica grassari solet, quae in illis fere semper deesse dicitur[12]). Naumann[13]) locos paludinosos febribus intermittentibus vexatos phthisi tuberculosa omnino vacantes collegit. Inter hos iam antiquitus Aegyptus excelluit, in quam ut se conferant phthisici homines, iamiam consuluit Celsus his verbis: opus est, si vires patiuntur, longa navigatione, coeli mutatione, sic ut densius, quam id est, ex quo discedit aeger, petatur; ideoque aptissime Alexandriam ex Italia itur"[14]). Quod iter saepe esse factum elucet ex testimonio Plinii maioris[15]). Deinde India non solum orientalis ad Gangem sita, verum etiam occidentalis celebrata est phthisi carere, quod in utraque parte terrae systema gangliosum et quidem hepaticum praevalere soleat — Cholera morbus et febris sic dicta flava —; ac si forte phthisis pulmonum illic occurrit, hanc esse pneumoniae sequelam Southey in libro suo „de phthisi" inscripto testatus est. Sic in Belgia tale quid observatur; quum Antwerpiae febres intermittentes epidemicae grassentur, Bruxellarum contra apud incolas phthisis tuberculosa frequentissime occurat, quamquam utraque urbs a se invicem non longe est remota. Similis status in Italia deprehenditur, cuius regiones paludosas ad Padum sitas nunquam febris intermittens deserit, nec unquam phthisis tuberculosa vexat, quae

12) cf. Schoenlein, *Handbuch der Pathologie und Therap.*

13) *Handbuch der medicinischen Klinik*, Tom. I.

14) De re medicina lib. III. cap. 22.

15) V. Bischof, *Physiologie. Bd. I.*

vero multos necat incolas montanarum aliarumque Italiae regionum. Quoad Lipsiam schedae instituti policlinici medici sub auspiciis Virorum Exc. et Expp. CERUTTI et BRAUNE florentis commemorandam quandam quae inter febrem intermittentem et phthisin intercedit, rationem edocent. Maior suburbana pars ad fluvios sita paludinosa est, urbana in universum sicca, libera ventisque exposita. In utraque urbis parte phthisis ac febres intermittentes medicis obveniunt; policlinicum vero institutum ab anno 1835 usque ad ultimum diem an. 1838 3292 aegroti visitarunt, inter quos 200 febre intermittente et 133 phthisi fuerant affecti. Ut brevi sub conspectu discriminis ratio facilius liqueat, urbem ac vicinitatem proximam in duas iam descriptas divisimus partes, quarum unam paludinosam ad fluvios sitam A., alteram vero B. vocare liceat. Ex A. venierunt 119 febre intermittente aegrotantes et 28 phthisi correpti; ex B. 81 febre et 105 phthisi afflicti. Ratio igitur, si liceat nobis, quos fugit medicorum apud incolas practicorum in hac re experientia, numeris hanc utriusque morbi differentiam comparare, haec est: A. febris ac phthiseos frequentia $=4,5:1$; $B=1,5:1$.

§. 24.

Quibus freti rebus per documenta multa affirmatis nonnulli miasma, quod febrem intermittentem procreat, oppositum esse phthisi pulmonali atque infensum coniecerunt, causamque in affectione gangliorum abdominalium, quae corporis humani constitutionem alienant, ac tuberculorum procreationem impediunt, positam esse inquisiverunt. Num hoc verum sit nec ne discernere non ausi e diverticulo ad finem nostrum transimus quaerentes, num febris intermittens ad phthisin iam apertam accedens sit salubris nec ne? Quae HIPPOCRATES de harum febrium salubritate contra morbos chronicos protulit, medici fere omnes vera esse confirmabant. Quum autem circa rem a nobis propositam nonnulla exstent in contrariam partem observata, singula febris stadia, quantum vires nostrae concedunt, diiudicare studebimus. Frigus febrile percutit corpus affecti hominis ita, ut signa sanguinis ad interiora organa congesti appareant; quae symptomata vero caloris stadium profert, ea imaginem febris inflammatoriae exhibent. Quae quum ita sese habeant, facile e supra allatis intelligi potest, febrem intermittentem exercere vim in tubercula exulcerantia nocivam, et si sae-

pius sese iterat, phthiseos decursum accelerare. Simile quoddam BROUSSAIS [16]) observavit, dicens per repetitum frigoris stadium phthisin apertam rapide finem assequi. SAM. VOGEL [17]) febrem intermittentem phthisi supervenientem hanc propagare statuit, et MEDICUS [18]) nonnullos collegit casus, in quibus phthisis exculta per febrem fuerit accelerata. BAYLE [19]) vidit phthisicos in paroxysmo febris interire.

Phthisin non semper interimere eos, qui sint architecturae phthisicae, verum etiam illos, qui dicantur ventriculosi, satis constat. Causam igitur morbi WILSON PHILIP e statu dyspeptico, saburrali originem et incrementum sumere dicit. Quare opinamur febrem intermittentem esse opportunum contra hanc morbi naturam successum, quia quisque scit, infarctus, indurationes, stagnationes aliasque organorum abdominalium mutationes, quae phthiseos fontes habentur, tali febre feliciter removeri. In aprico igitur est, febrem secundum agere in phthisin effectum, si exceperis eam, quae iam aperta facta est.

§. 25

De febre nervosa typhoidea.

HILDEBRAND [20]) nunquam phthisicum typho esse affectum observavit, atque NAUMANN [21]) phthisin se vidisse refert nondum apertam vernali febre intermittente ac typho feliciter sublatam. Plerumque e febribus gastricis, pituitosis aliisque crisibus perverse factis febris nervosa sese evolvit eumque dissolutione quadam organicae materiei se complicat atque finit. Ideoque febri typhoideae magna est data mutandae corporis materiei proclivitas, unde fere semper accidit, ut qui reconvalescunt quasi denuo editi videantur. Teneres ac delicatuli homines robustiores fiunt, firmiores et obesi; et qui turbatis laborarunt organorum abdominalium functionibus, ii in integrum eorum usum restituuntur; apud aucto-

---

16) cf. Phlegmasiae Tom. II.

17) *Handbuch der pract. Arzneiwissenschaft*, *B. I.*

18) *Periodische Fieber Beobacht.* 75, 80, 86.

19) l. c. pag. 123 sqq.

20) cf. KLOSE, l. c. pag. 385.

21) l. c. paragr. 122.

res quoque leguntur mentis animique mutationes e typho exortae. Quum haec tanta febri nervosae insit vis mutandae corporis materiei, nullum dubium in mente nostra inhaeret, quin febris nervosa phthisi occultae superveniens prosperi sit aegroto reconvalescenti successus, contrarii vero, quum exulceratio incipiat, quia unicuique notum est, in febribus, quarum radices sint positae in affectione tunicae mucosae inprimis gastricae, vulnera peiora fieri, si ex analogia id comparare nobis licet. Bayle [22]) mortem per febrem eiusdem indolis accelerari observavit.

§. 26.

De febribus exanthematicis.

Quae symptomata febres exanthematicae proferunt, saepenumero sunt intoxicationi similia. Uti enim venenum aliquod praecipue ex narcotico-acribus desumptum ac tanta dosi corpori humano ingestum, ut summus eius efficacitatis gradus in lucem prodeat, sanguinis mixtionem pervertit, dissolvit atque nervorum paralysi quam plurimum necat, exenterato autem cadavere hic et illic specificae inflammationis tunicae non tantum mucosae, verum etiam serosae ac neurolematis vestigia reliquit: sic etiam exanthemata acuta, inprimis variola, scarlatina et morbilli, ubi natura non pollet crises perducere morbumque cuti adfixum usque ad exsiccationem et desquamationem absolvere, aut illum singularem procreant inflammationis statum, aut putridam sanguinis mixtionem aut repentinam mortem sub iisdem signis, quae secum habent venena. Quare multi sunt, qui has febres depurativas nuncupent, alii, qui ad evolutiones corporis eas referant, quia corporis humani materiem mutent atque performent et ut dicit Fr. Hoffmannus ad machinae salutem tendant. Missam vero hanc febrium contemplationem faciamus ac solum earum effectum in phthisicum hominem inquiramus. Neminem fugit ille peculiaris organorum respirationis cum cute consensus, qui saepe ita praevalet, ut vim naturae medicatricem, quominus haec per cutem absolvere possit illa exanthemata, impediat. Quae exinde sequantur, descripsimus, sed nondum admonuimus, sub hoc certamine pulmones vel potius bronchia graviter esse affecta. Id praecipue dici debet de scarlatina et morbillis.

---

22) cf. l. c. observ. 5, 7.

Utrumque morbum inflammatio ostei cuiusdam cavi mucosi praedicit et usque ad stadium efflorescentiae et quod excedit, comitatur, quae quidem phlogosis sub infaustis conditionibus externis seu internis gradum adipisci potest pericula minantem. Phthisicus homo, cuius pulmones sanguine sunt impleti et bronchia tuberculorum interventione irritata, adeo noxium praebet influxum internum inprimis morbillis, qui bronchiorum irritationem aut in bronchitidem immutant vel pneumoniam, aut tubercula cito ad emollitionem exulcerationemque transducunt. Scarlatina [22]) eadem profert, cumque aegrum ad hydrothoracem proclivem faciat, incommoda maxima producit. Variola vero, quam veteres medici phthiseos procreatricem accusabant, sine dubio prognosin pessimam exstruit. Quae autem multo melior prodit per erysipelas, cuius salubritatem multa exstant exempla in phthisin denotantia. Eodem modo, quo medici rubefacientia, vesicantia cuti imponunt, ut et perversam corporis intentionem et irritationem ex illa prosilientem derivent, naturae in hoc casu et sine dubio meliori cum successu corpori consulit.

§. 27.

De febre catarrhali et influenza.

Si novus accedit morbus ad chronicum eiusdem indolis, fit, ut crisibus bene peractis organismus integer evadat; crisibus vero non solutis, morbus augetur. Quod quidem evenit in phthisi, cuius tubercula iam chronicum alunt catarrhum et superveniente acuto cito ad exulcerationem inclinant, id quod valet de influenza.

§. 28.

Sic ad finem nos pervenimus, qui finem nobis propositum probe intelligimus neutiquam iusto modo esse absolutum. Etenim, quae tiro protulit, sunt pauca admodum atque sine dubio votis L. B. non ubicunque satisfaciunt, quia fortasse ea, quae brevius licebat, copiosius sunt explicata et vice versa. Quae cum ita sint, tamen haec scriptiunculae tenuitas per tironis virium imbecillitatem excusanda videtur, quae prohibuerit, quominus rectam viam ingressus sit.

22) Bayle, l. c. pag. 70. observ. 48.